

COMMENTARIUM

1. Propositio quaesiti

Quaesitum ad quod respondet Signatura Apostolica respicit c. 1608, qui praescribit operam periti adhibendam esse in causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum. Oportet canonem ob oculos habere:

Can. 1608. In causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum iudex unius periti vel plurium opera utatur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; in ceteris causis servetur praescriptum can. 1574.

Canon vero 1574 praescribit:

Peritorum opera autendum est quoties ex iuris vel ex iudicis praescripto eorum examen et votum, praeceptis artis vel scientiae innixum, requiruntur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Quaesitum versatur tantum circa causas ob consensus defectum propter «*mentis morbum*». Terminus generalis «*mentis morbus*» non adhibetur in capite *De consensu matrimoniali* (cc. 1095-1107). Legislator capita nullitatis quae in c. 1680 comprehenduntur sub termino generali «*morbus mentis*» proponit magis specificate in c. 1095, ordine aliquo sistematico, sub tribus numeris digesta. Ideo sive in proponendo quaesito sive in respondendo citatur simpliciter c. 1095, ad idem significandum quod in canone 1680 indicatur locutione

«in causis [...] de consensus defectu propter mentis morbum».

Facta hac terminorum declaratione, animadvertamus oportet imprimis canonem simpliciter praescribere ut in his causis iudex utatur opera unius periti vel plurium. Non ei relinquitur libertas discretionalis adhibendi vel non adhibendi peritos. Facultas discretionalis restringitur tantummodo ad optionem utendi opera vel unius vel plurium. Minime vero stat in sua facultate discretionali praescindere prorsus ab huiusmodi peritorum opera.

Canon unam tantum exceptionem praevidet, scilicet «nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat» huiusmodi opera. In exceptione describenda, legislator adhibet terminos potius restrictivos: a) inutilitas peritorum operae debet apparere *evidenter*; b) et quidem *ex adiunctis*, non aliunde; adiuncta, nempe, quae quomodo ex actis causae comprobari possint.

Cum agatur de lege processuali, quae proinde admissim servanda est, quaestio exsurgere potest an, praeter expressam exceptionem praevisam in c. 1680, aliae dari possint exceptiones in adiunctis quodammodo exceptionalibus, exempli gratia si ex lege civili periti prohibeantur quominus operam suam praestent in foro ecclesiastico.

Vicarius iudicialis N. quaesitum hac super re proposuit praecise quia ex lege civili in sua regione periti operam praestare in foro ecclesiastico prohibentur. Ut plurimum autem lex positiva huiusmodi praestationem prohibens non habetur ubi lex civilis prorsus ignorat existentiam fori ecclesiastici. At, e contra, plura sunt loca ubi periti accusari possunt de calumnia vel de violatione «privacitatis», eo quod peritia adhibita est a personis (id est, a iudicibus ecclesiasticis), quae iuxta legem civilem nullum ius habent ad illam peritiam

adhibendam. Immo nec auctoritas ecclesiastica efficaciter sese opponere potest ne auctoritas civilis archiva ecclesiastica ubi acta processualia asservantur, inspicat, si res, ex pressione eorum quorum interest, eo pervenerint ut iudicem civilem inducant ad hanc inspectionem imperandam uti medium ad veritatem accusationis detegendam.

Vicarius iudicialis N. quoad causas nullitatis ex capitibus de quibus in c. 1095, quaesitum proponit terminis recte definitis, scilicet «num in huiusmodi adiunctis liceat iudicibus sententiam pro nullitate pronuntiare, si absque peritorum opera, propria scientia “non-professionali”, certitudinem moralem iure requisitam adepti fuerint».

Quaesitum prout proponitur, praesupponit: a) in aliquibus saltem causis ob capita de quibus in c. 1095, praeter casus in quibus opera peritorum «inutilis evidenter appareat», iudices posse reapse certitudinem moralem iure requisitam absque opera peritorum adipisci; b) iudices hanc certitudinem moralem adipisci posse scientia propria, quam Vicarius iudicialis qualificat uti «scientiam non-professionalem»; c) iudices hanc scientiam «non-professionalem», quae ad certitudinem moralem gignendam sit sufficiens, haurire posse «ex actis et probatis».

His praesuppositis, quaerit Vicarius iudicialis N. num liceat iudici sententiam pronuntiare pro nullitate, absque opera peritorum, in casibus in quibus ipse «scientia propria non-professionali» reapse certitudinem moralem adeptus fuerit. Haec est quaestio.

Ipse Vicarius N. effert consequentiam, quae ex responso affirmativo ineluctabiliter eruitur, scilicet quod praeter exceptionem illam «nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat», explicite in c. 1680 praevisam, alias posse dari exceptiones, in particulari exceptio

quae verificaretur si opera peritorum «ex adiunctis moraliter impossibilis reddatur».

2. Responsio Signaturae Apostolicae

Signatura respondet declarando quaedam puncta quae ad rem faciunt. Non agitur de *decreto*, non obstante forma sollemniori qua introducitur responsio: «quam ob rem, collatis votis peritorum et re sedulo perpensa in Congressu [...], vi art. 124, n. 1, Const. Ap. *Pastor Bonus*». Natura documenti patet ex formula adhibita: «... Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal *ad rem haec declaranda censet*:»

Memoratus vero art. 124, n. 1, Const. *Pastor Bonus* statuit: «Ipsius [Signaturae] quoque est: 1°. rectae administrationi iustitiae invigilare...». Ideo Signatura haec quae declaranda censet in casu, declarat vi muneris quod ipsi competit invigilandi rectae administrationi iustitiae in Ecclesia.

Ea quae Signatura censet declaranda digeruntur sub novem numeros, quorum alii principia fundamentalia, alii potius iudicis et periti munera in memoriam revocant et illustrant.

2.1 Principia fundamentalia

In numero 1, in memoriam revocatur *principium fundamentale* c. 1608 §§ 1-2, iuxta quod «ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definendam» (§1). Et quidem «Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis» (§2). Quod valet modo peculiari de causis nullitatis matrimonii, attenta earumdem gravitate tum in ordine naturali tum in ordine supernaturali.

Duo ergo fundamentalia praescribuntur: 1) necessitas certitudinis moralis in animo iudicis ut sententiam pro nullitate pronuntiare possit; 2) fons huius certitudinis debent esse solummodo «acta et probata» in processu.

Quoad primum, efferendum est principium esse quidem clarum at semper fuisse obnoxium duabus interpretationibus extremis, ad gradum certitudinis requisitae quod spectat, a iudice, uti patet, prudenter ac sapienter vitandis. Semper enim minatur periculum vel incidendi in rigorem nimium ex una parte vel labendi in laxismum quemdam faciliorem ex alia. Utrumque est quam maxime perniciosum.

Signatura in adiunctis hodiernis non videtur timere periculum ullum rigorismi in interpretando gradu certitudinis qui in animo iudicis requiritur ut sententiam pro nullitate matrimonii pronuntiare possit. Attentionem enim tantummodo excitat circa aliud extremum, cum tantummodo animadvertat certitudinem moralem considerari non posse «una certezza puramente soggettiva che si fonda sul sentimento di questo o di quello, forse anche su personale credulità, sconsideratezza, inesperienza», iuxta verba deprompta ex allocutione Pii XII ad Praelatos Rotae Romanae, diei 1 octobris 1942, quae constituit synthesim nondum superatam, ob eius claritatem et equilibrium, circa certitudinem moralem in iudice requisitam ad sententiam pro nullitate matrimonii pronuntiandam¹.

Attento momento quod in responso quod commentatur habet quaestio de certitudine morali, opportunum duco aliqua criteria memorare ex eis quae Pius XII proponit.

¹ AAS 34 (1942) 338-343.

Imprimis reicitur necessitas certitudinis absolutae, quae omne dubium errandi excludat. Exigere talem gradum certitudinis «equivarrebbe al richiedere cosa irragionevole dal giudice e dalle parti: importerebbe il gravare l'amministrazione della giustizia al di là di una tollerabile misura, anzi ne incepperebbe in vasta proporzione la via».

Ex altera vero parte invenitur id quod vulgo saepius vocatur certitudo, sed quae obiective non meretur ita appellari, «ma deve qualificarsi come una maggiore o minore probabilità, perché non esclude ogni ragionevole dubbio e lascia sussistere un fondato timore di errare. Questa probabilità o quasi-cerchezza non offre una base sufficiente per una sentenza giudiziaria intorno alla obbiettiva verità del fatto»².

In medio inter duo extrema invenitur *certitudo moralis* de qua in can. 1608 §1, quam citat Signatura: «Essa — dicit Pius XII — nel lato positivo, è caratterizzata da ciò, che esclude ogni fondato o ragionevole dubbio e, così considerata, si distingue essenzialmente dalla menzionata quasi-cerchezza; dal lato poi negativo, lascia sussistere la possibilità assoluta del contrario, e con ciò si differenzia dall'assoluta cerchezza». Definita ideo certitudine morali, affirmatur eam esse «necessaria e sufficiente per pronunciare una sentenza, anche se nel caso particolare sarebbe possibile di conseguire per via diretta o indiretta una cerchezza assoluta».

Pius XII concludit hoc punctum asserendo quod «solo così può aversi una regolare e ordinaria amministrazione della giustizia, che proceda senza inutili ritardi e senza eccessivo gravame del tribunale non meno che delle parti»³.

² AAS 34 (1942) 339.

³ AAS 34 (1942) 339-340.

Evidens est totum processum matrimonialem tendere ad reddendam obiectivam ac liberam ab omni subiectivismo certitudinem moralem requisitam. Ad hoc obtinendum plures regulae plene definitae praescribuntur a iudice servandae, plura indicantur instrumenta quae ab ipso iuxta suam discretionem pro adiunctis possunt adhiberi vel omitti, adhiberi autem in maiore vel minore numero, ut testes, maiore vel minore frequentia, uti praesumptiones etc. Quod attinet vero normas processuales taxative praescriptas, patet iudicem teneri eas observare, attenta uniuscuiusque normae gravitate et singnificatione in processu, quin incidat tamen in formalismum quemdam minime probatum nec probandum.

Ad rem clare Pius XII in memorata allocutione: «La coscienzosa osservanza di tali norme è un dovere del giudice, ma, d'altra parte, nella loro applicazione egli ha da tener presente che non sono fine a se stesse, bensì mezzi al fine, vale a dire per procurare e assicurare una certezza morale oggettivamente fondata circa la realtà del fatto»⁴. Verba quae habent peculiarem applicationem in responso Signaturae ad quaesitum de quo agimus.

Quod attinet ad fontem certitudinis, est principium inconcussum iudicem non posse huarire certitudinem moralem ad sententiam pronuntiandam nisi «ex actis et probatis» processus, ut praescribit c. 1608 §2. Libertas iudicis hac super re circumscribitur praescripto §3 eiusdem c. 1608: «Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, firmis praescriptis legis de quarundam probationum efficacia». Agitur tamen semper et solummodo de probationibus quae in actis causae continentur, et quidem firmis semper prae-

⁴ AAS 34 (1942) 341.

scriptis legis de efficacia quarundam probationum si eventualiter aliquae huiusmodi probationes in actis inveniantur.

2.2 Opera peritorum in causis de quibus in c. 1095

Posito principio fundamentalis, secundum quod requiritur in iudice certitudo moralis, ex actis et probatis hausta, ad sententiam pro nullitate pronuntiandam, responsum Signaturae in n. 2-6, logice procedendo, in memoriam revocat aliqua maioris momenti, quae sub diversis aspectibus respiciunt necessitatem adhibendi operam peritorum in causis de quibus c. 1095.

In numero 2, imprimis Signatura evocat principium iuxta quod in causis de quibus in c. 1095 ut plurimum requiritur opera peritorum ut iudex pervenire possit ad certitudinem moralem iure requisitam, nisi in casibus in quibus incapacitas est adeo perspicua ut opera peritorum «inutilis evidenter appareat» (c. 1680).

Et ratio est quia agitur de causis maxime complexis, in quibus ut plurimum iudex non habet sufficientem praeparationem technicam ut directe, propria scientia, eruere possit data obiective certa ad certitudinem moralem obiective fundatam gignendam. Nec dubium est hanc esse rationem ob quam legislator positive praescribit ut in huiusmodi causis opera peritorum adhibeatur nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat (c. 1680). Si enim haec opera peritorum non positive praescriberetur, facile iudices, saltem aliqui, vel quia parvipendunt scientias psychologicas et psychiatricas vel quia putant se sufficientem praeparationem in his scientiis ad casum discernendum habere, ab illa opera prorsus praescinderent cum gravi periculo errandi sive in diagnosi et aestimatione morbi, sive consequenter in fundamento sententiae ferendae.

Legislator, ad vitanda huiusmodi pericula, non relinquit discretioni iudicis usum vel minus operae peritorum, sed modo generali praescribit ut in causis de quibus in c. 1095 huiusmodi opera adhibeatur, una tantum exceptione signata, scilicet «nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat».

Signatura remittit ad allocutiones Ioannis Pauli II ad Praelatos Rotae Romanae, dierum 5 februarii 1987⁵ et 25 ianuarii 1988⁶. Notum est etenim R. Pontificem in his duabus allocutionibus argumentum sive de difficultate specifica huiusmodi causarum ob quam opera periti in scientiis psychologicis et psychiatricis ut plurimum requirenda est, sive de habitudine peritum inter et iudicem in prima atque peritum inter et defensorem vinculi in altera, peculiari attentione evolvisse; in duabus vero principia fundamentalia proponit circa aestimationem scientiarum psychologicarum et psychiatricarum simul indigitans pericula e diversitate scholarum et e varietate visionis anthropologicae hominis promanantia, quae iudex et defensor vinculi, vi proprii muneris, tenentur attente semper perpendere, ut data peritorum, obiective in eorum iusto pondere, aestimare valeant.

Romanus Pontifex supponit ut quid pacificum necessariam esse ut plurimum operam peritorum in causis de incapacitate ad consensum matrimonialem praestandum. Ideo insistit tum in evolvenda difficultate et complexitate materiae tum in efferenda necessitate cooperationis peritum inter et iudicem tum in delimitandis muneribus quae ad unumquemque spectant. Ad nostrum scopum faciunt peculiari modo haec verba circa cooperationem:

⁵ AAS 79 (1987) 1453-1459.

⁶ AAS 80 (1988) 1178-1185.

Di conseguenza, la trattazione delle cause di nullità di matrimonio per limitazioni psichiche o psichiatriche esige, da una parte, l'aiuto di esperti in tali discipline, i quali valutino, secondo la propria competenza, la natura ed il grado dei processi psichici che riguardano il consenso matrimoniale e la capacità della persona ad assumere gli obblighi essenziali del matrimonio; d'altra non dispensa il giudice ecclesiastico, nell'uso delle perizie, dal dovere di non lasciarsi suggestionare da concetti antropologici inaccettabili, finendo per essere coinvolto in fraintendimenti circa la verità oggettiva dei fatti e dei significati⁷.

Et insistit iterum versus finem allocutionis in limitibus utriusque muneris definiendis:

Il giudice, quindi, non può e non deve pretendere dal perito un giudizio circa la nullità del matrimonio, e tanto meno deve sentirsi obbligato dal giudizio che in tale senso il perito avesse eventualmente espresso. La valutazione circa la nullità del matrimonio spetta unicamente al giudice. Il compito del perito è soltanto quello di prestare gli elementi riguardanti la sua specifica competenza, e cioè la natura ed il grado delle realtà psichiche o psichiatriche, a motivo delle quali è stata accusata la nullità del matrimonio. Infatti, il Codice, ai cann. 1578-1579, esige espressamente dal giudice che valuti criticamente le perizie. E' importante che in questa valutazione egli non si lasci ingannare né da giudizi superficiali né da espressioni apparentemente neutrali, ma che in realtà contengano delle premesse antropologiche inaccettabili⁸.

Simili modo, R. Pontifex in memorata allocutione anni 1988, praesupponit in causis de quibus in c. 1095 operam periti esse prorsus necessariam ideoque munera defensoris vinculi effert quoad cooperationem cum perito. Inter plura alia maximi momenti, haec excerptimus:

⁷ AAS 79 (1987) 1454.

⁸ AAS 79 (1987) 1457-1458.

Il difensore del vincolo nell'adempimento del suo compito, deve adeguare la sua azione alle diverse fasi del processo. Spetta a lui innanzitutto, nell'interesse della verità oggettiva, curare che al perito si facciano le domande in modo chiaro e pertinente, che si rispetti la sua competenza e non si pretendano da lui delle risposte in materia canonica. Nella fase dibattimentale poi dovrà saper valutare rettamente le perizie in quanto sfavorevoli al vincolo e segnalare opportunamente al giudice i rischi della loro scorretta interpretazione, avvalendosi anche del diritto di replica che la legge gli consente. Scorgendo infine, in caso di sentenza affermativa di primo grado, deficienze nelle prove sulle quali essa si basa o nella loro valutazione, non ometterà di interporre e giustificare l'appello⁹.

In numero 3, Signatura, attenta complexa natura causarum de quibus agitur, proponit difficultatem, ne dicamus impossibilitatem, ut dentur reapse casus in quibus, ex una parte opera peritorum aestimetur necessaria utpote non «inutilis evidenter appareat» (c. 1680), ex alia vero parte iudex possit adipisci certitudinem moralem iure requisitam, ex actis et probatis hauriendam, ad sententiam pro nullitate pronuntiandam. Si enim incapacitas est prorsus evidens, ita ut inutilis appareat quaelibet peritia technica, id iam praevisum est in c. 1680. Si e contra incapacitas non est evidens, non videtur fieri posse ut iudex sua scientia «non-professionali», limitata ulterius ex praescripto legis, iuxta quod certitudo moralis hauriri debet tantummodo «ex actis et probatis» (c. 1608 §2), adipisci possit illam certitudinem moralem, obiective fundatam, quae iure requiritur ad sententiam pro nullitate pronuntiandam. Casus huiusmodi, si qui sunt, non possunt constituere problema quod communiter contingat adeo grave, quod attentionem peculiarem legislatoris requirat.

⁹ AAS 80 (1988) 1184.

In numero 4, Signatura in idem insistit sub alio respectu, scilicet memorat duplicem fontem obligationis adhibendi operam periti in huiusmodi causis.

Primus fons et magis immediatus est praescriptum c. 1680. Ideo requirenda est opera periti quia haec praescripta est ut una ex complexu normarum quae in processu matrimoniali servandae sunt. Cum vero agatur de norma valde momentosa ut medium ad veritatem obiectivam detegendam, patet eam urgere per se semper, nisi, ut ipsa norma praevidet, opera periti «ex adiunctis inutilis evidenter appareat».

Alius fons est magis radicalis cum sit ratio cur norma positiva praescripta sit, scilicet obligatio adhibendi operam periti desumitur ex ipsa natura rerum. Attentis enim ex una parte complexitate et obiectiva difficultate causarum de quibus agitur, ex alia vero parte obligatione quae iudici incumbit adipiscendi certitudinem moralem ad sententiam pro nullitate pronuntiandam, consequitur operam peritorum, uno vel alio modo, ut plurimum necessariam esse in huiusmodi causis ad veritatem detegendam, ideoque, etiamsi praescripta positive non esset, adhibenda uno vel alio modo esset ut instrumentum a quo iudex praescindere non potest, cum ipse non sit sufficienter praeparatus ad aestimandam gravitatem morborum qui incapacitatem determinare possunt.

In numero 5, Signatura agit de casibus in quibus opera periti «evidenter inutilis» apparere potest in causis incapacitatis de quibus in c. 1095. Responsum indigat duos tantummodo casus, quorum primus est si in actis habetur aliquod documentum vel testimonium adeo qualificatum ut, etsi non agatur de peritia proprie dicta, sufficientem probationem constituat ad certitudinem moralem gignendam de partis incapacitate ideoque iudex ad sententiam pro nullitate pronuntiandam tuto procedere possit. Alter vero casus est si ex adiunc-

tis, scilicet ex factis antecedentibus concomitantibus et subsequentibus matrimonii celebrationem evidenter eruitur aliqua ex incapacitatibus in c. 1095 globatim in tribus numeris ordine aliquo systematico indicatis.

Praeter has duas exceptiones, Signatura non videtur admittere alias. Ideo illa exceptio generalior, terminis amplis indicata, nempe «nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat», reapse locum non habet nisi in his duobus casibus, quos enucleate describit Signatura. Nec, attenta natura rei, alii casus videntur posse facile dari, cum certitudo moralis iudicis haurienda sit «ex actis et probatis», ideoque ex ipsis actis processualibus.

In numero 6, Signatura illustrat modum procedendi in casu particulari quo pars sese examini periti subiicere recuset. Signatura distinctionem innuit inter «peritiam» sensu tecnico sumptam et «votum» periti.

Patet hoc in casu peritum non posse «peritiam», sensu tecnico psychiatrico vel psychologico, perficere, cum non habeat possibilitatem examini subiiciendi subiectum de quo agitur. Attamen potest iuvare iudicem suo «voto» quo suam casus aestimationem exprimat, ex datis quae ex actis causae eruuntur ad naturam morbi eiusque influxum in subiecti capacitatem dignoscendam.

Hoc «votum» seu «iudicium» (parere) in arte psychiatrica et psychologica non ut «peritia» habetur, at obiective pro adiunctis non parum conferre valet ad veritatem iudicalem comperiendam. Res relinquitur sapientiae et prudentiae iudicis.

Ex dictis hucusque videtur posse erui conclusio satis significativa ad quaesitum propositum quod attinet, nimirum in illis regionibus in quibus opera peritorum adhiberi quacumque ex causa nequeat, iudex, praeter casum quo ex adiunctis talis opera inutilis evidenter appareat, ut plurimum non poterit certitudinem mora-

lem iure requisitam adipisci ad sententiam pro nullitate pronuntiandam.

Difficultas autem obiectiva non provenit ex lege positiva praescribente (c. 1680) operam peritorum adhibendam esse in causis de quibus in c. 1095, quae ut aliae leges positivae, positae ponendis, locum dare possunt excusationi, sed quia iudex non habebit instrumentum vix non imprescindibile ad certitudinem necessariam adipiscendam.

Consequenter ex illo statu rerum derivatur, indirecte quidem at vere, limitatio quaedam iuris fidelium, ex limitatione instrumentorum probationis, ad declarationem nullitatis obtinendam, quae, aliis in adiunctis, opera peritorum adhibita, obtineri posset. Aliis verbis, ex conflictu cum ordine iuridico civili, Ecclesia non potest protegere in proprio ordine exercitium iuris christifidelium, de quo in c. 221, qui recitat:

§1. Christifidelibus competit ut iura quibus in Ecclesia gaudent, legitime vindicent atque defendant in foro competenti ecclesiastico ad normam iuris.

§2. Christifidelibus ius quoque est ut, si ad iudicium ab auctoritate competenti vocentur, iudicentur servatis iuris praescriptis, cum aequitate applicandis.

2.3 *Obligatio secreti servandi*

In numero 7, cum quaesitum propositum originem ducat ex conflictibus qui ex publicatione «peritiae» vel «voti» oriri possunt ordinem canonicum inter et civilem, Signatura in memoriam revocat obligationem iudicis sedulo servandi iuris processualis praescripta.

Praesertim vero effertur praescriptum iuxta quod in causis matrimonialibus acta causam respicientia et ipsa sententia per se tantum partibus, non autem extraneis, publicanda sunt. Maxima pars ex difficultatibus quae

hinc inde emergunt, procedunt ex eo quod non servatur debita prudentia in concilianda «publicitate iuridica» erga partes, ex una parte, cum secreto servando erga alios, ex alia. Res agitur maximi momenti, quae proinde ab omnibus quorum interest maxima diligentia tuenda est, praesertim in locis ubi periculum est ne iura Ecclesiae et christifidelium hanc ob causam violentur.

Signatura remittit ad Ioannis Pauli II allocutionem ad Praelatos Rotae Romanae diei 26 ianuarii 1989 habitam¹⁰, quae tota de iure defensionis agit. Operae pretium est hic refferre quae de nostro argumento specificè dicit, ob claritatem qua res tractatur:

Talvolta si asserisce che l'obbligo di osservare la normativa canonica al riguardo, specialmente circa la pubblicazione degli atti e della sentenza, potrebbe ostacolare la ricerca della verità a causa del rifiuto dei testimoni a cooperare al processo in tali circostanza.

Innanzitutto deve essere ben chiaro che la «pubblicità» del processo canonico verso le parti non intacca la sua natura riservata verso tutti gli altri [...]. Non può sfuggire, poi, che nella sentenza è sufficiente l'esposizione delle ragioni in diritto ed in fatto, sulla quale esse si regge, senza dover riferire ogni singola testimonianza¹¹.

Et magis directe quoad nostrum argumentum:

Ho detto che la «pubblicità» del giudizio canonico verso le parti in causa non intacca la sua natura riservata verso tutti gli altri. Il giudice infatti e gli aiutanti del tribunale sono tenuti a mantenere il segreto d'ufficio, nel giudizio penale sempre, e nel contenzioso se dalla rivelazione di qualche atto processuale possa derivare pregiudizio alle parti; anzi ogni qual volta la causa o le prove siano di tal natura che dalla divulgazione degli atti o delle prove sia messa in peri-

¹⁰ AAS 81 (1989) 922-927.

¹¹ AAS 81 (1989) 925.

colo la fama altrui, o si dia occasione di dissidi, o sorga scandalo o altri simili inconvenienti, il giudice può vincolare con il giuramento di mantenere il segreto i testi, i periti, le parti e i loro avvocati o procuratori [nota 9: cf. c. 1455 §§1 e 3]. Esiste anche il divieto ai notai e al cancelliere di rilasciare copia degli atti giudiziari e dei documenti acquisiti al processo senza il mandato del giudice [nota 10: cf. c. 1475 §2]. Inoltre, il giudice può essere punito dalla competente autorità ecclesiastica per la violazione della legge del segreto [nota 11: cf. c. 1457 §1]¹².

2.4 *Obligationes periti*

In numero 8, Signatura modo omnino generali memorat duas obligationes fundamentales quas peritus in proprio munere rite et fideliter exsequendo «sedulo servare tenetur»: 1) praecepta et normas ethicas suae artis vel scientiae; b) praescripta iuris tam canonici quam civilis.

Quad 1), patet peritum assumere obligationem gravem, ex ipsa rerum natura promanantem, suo munere fungendi, fideliter servando officia ethica propriae professionis. Haec autem, attenta specifica natura huius professionis, induunt peculiarem indolem ethicam, siquidem personas directe et profunde respiciunt, in provincia ubi valores maxime personales aguntur. Ideo peritus, peculiari urgentia, omnia officia specifica, quae ex tali professione derivantur, maxima cum diligentia et profundo sensu propriae responsabilitatis, tenetur adimplere, secus ius eius cuius interest violat et fiduciam tribunalis tradit. Ex eius enim peritia dependere potest et christifidelis felicitas humana et eius via ad salutem aeternam.

¹² AAS 81 (1989) 926.

In hac professione plus quam in aliis, officium omnium fundamentalissimum in eo consistit quod peritus profundam praeparationem scientificam possideat ad proprio munere competenter fungendum. Perito, qui hac praeparatione scientifica caruerit, non debet umquam munus periti committi nec ipsi fas est hoc munus sibi assumere, quippe qui, in hac hypothesis, non sit amplius peritus sed pseudo-peritus, cuius pseudo-peritiae ad nihilum conferent nisi ad confusionem in iudices inducendam, cum periculo gravissimi praeiudicii eorum, quorum interest.

Quoad 2) peritus tenetur servare praescripta iuris sive canonici sive civilis. Quod attinet ius canonicum, codex dedicat caput IV, cui titulus *De peritis*, partis II libri VII (cc. 1574-1581), ubi codificantur praecipuae leges canonicae peritos respicientes. Ex his canonibus, Signatura citat cc. 1574, 1577 §2 et 1578 §2. Initio huius commentarii transcripsimus c. 1574, ad quem remittit c. 1608, de quo agit quaesitum Signaturae propositum. Canon vero 1577 §2 iubet ut remittantur perito «acta causae aliaque documenta et subsidia quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exsequandum». Peritus enim, uti patet, si haec instrumenta laboris prae manibus non habet, non potest efficaciter suam operam iudici praestare ad veritatem detegendam.

Denique canon 1578 §2 praescribit:

Periti debent indicare perspicue quibus documentis vel aliis idoneis modis certiores facti sint de personarum et rerum vel locorum identitate, qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato, et quibus potissimum argumentis suae conclusiones nitantur.

2.5 *Periti rite parandi*

In numero 9, Signatura finem imponit his quae declaranda censuit, commendatione quadam urgentiore,

videlicet «omnino curandum est», ut, attento momento operis peritorum ad causas nullitatis matrimonii ob capita de quibus in c. 1095, seligantur periti qui scientia et artis experientia sint insignes atque principiis anthropologiae christianae adhaereant, quibus praeterea rite exponenda sunt principia quae eorum operam in tribunalibus ecclesiasticis dirigunt.

Ex his quae in hoc numero innuuntur, peculiare momentum obtinet mentio de necessitate ut periti «principiis anthropologiae christianae adhaereant». Si enim peritus his principiis non adhaereat, vix possibile est ut rectum conceptum habeat, saltem in plurimis casibus, sive de exigentiis matrimonii prout a Deo institutum est, sive de hominis christiani viribus ex gratia Dei etiam provenientibus ad superandas difficultates in vita matrimoniali emergentes; quo conceptu deficiente, periti «peritia» facile ab scopo processuali aberrabit. Praeterea si visio anthropologica periti de homine et matrimonio longe diversa est ab illa quam habet iudex ecclesiasticus, vix possibile erit ut inter eos instauretur dialogus proficuum ad causas nullitatis matrimonii de quibus agitur dignoscendas et sententia iusta solvendas. Ad rem Ioannes Paulus II in citata Allocutione ad Praelatos Romanae Rotae, 5 februarii 1987:

Da quanto detto sopra appare che il dialogo e una costruttiva comunicazione tra il giudice e lo psichiatra o psicologo sono più facili se per entrambi il punto di partenza si pone entro l'orizzonte di una comune antropologia, così che, pur nella diversità di metodo e degli interessi e finalità, una visione resti aperta all'altra.

Se invece l'orizzonte entro cui si muove il perito, psichiatra o psicologo, è opposto o chiuso a quello entro cui si muove il canonista, il dialogo e la comunicazione possono diventare fonte di confusione e di fraintendimento. A nessuno sfugge il pericolo gravissimo che deriva da questa seconda ipotesi per quanto riguarda le decisioni circa la nullità del ma-

trimonio; il dialogo tra giudice e perito, costruito su un equivoco di partenza, può infatti facilmente portare a conclusioni false e dannose per il vero bene delle persone e della Chiesa¹³.

URBANO NAVARRETE, S.I.

¹³ AAS 79 (1987) 1455.